

483

481

487

477

492

472

432

382

Ende

Anfang

468

Jerosolymam petiit, et loca sancta quae sivit, et crucem cum aliis insigniis nostrae redemtionis invenit, et locis mundatis idolisque abjectis de Jerusalem ad Bethlehem properavit, et locum dulcissimae nativitatis Domini mundavit, et spurcitas idolorum de specu sancto eliminavit, et omnia ibi reperta submovit, et praeseppe Domini integrum sub ruinis invenit, in quo reperit lapidem, quem capiti pueri beata Virgo supposuerat, et foenum, et panniculos, et caligulas Joseph, et camisiam longam, in qua pepererat juxta mulierum orientalium morem, quae habent camisias longas et latas, dum sunt impraegnatae, sicut albae sacerdotum, et pedissequae dominarum defluentia portant. Si vero sunt pauperes, quod non habent pedissequas, procingunt se, et sursum dependentia trahunt. Talem camisiam etiam habuit beata Virgo Maria, quam in loco illo cum aliis rebus dereliquit propter festinatiam fugae, et divino nutu per multa annorum curricula fuerunt incorrupta conservata usque ad tempora S. Helena, quae ea reperit.

Purgato ergo loco ecclesiam mirae pulchritudinis desuper aedificavit, et convocatis optimis artificibus in ligno et lapide (**B**) intentionem suam esse dixit, in hoc loco fieri pretiosissimam ecclesiam, ita tamen, quod rupes illa, sub qua natus est Salvator mundi, integra maneret. Artifices itaque locum aptaverunt pro grandi ecclesia erigenda, et non nisi electam materiam lignorum et lapidum disposuerunt, tabulas marmoreas candidas et politas, et columnas pretiosissimas, et ligna cedrina et cypressina. Ad haec et alia dedit comparanda S. foemina, aurum et argentum sine defectu praefectis operis, et alia metalla obtulit sine mensura. Cunctos autem parietes et totum pavimentum vestivit marmore candido et vario, et superiore partem parietum depingi fecit opere musaico. Et ita facta fuit ecclesia ingens et inclita, oblonga, ordinatissima, ita, quod specus nativitatis Domini mansit directe sub choro incorrupta, subitus sanctuarium. Est autem ecclesia ista aedificata more ecclesiarum romanarum. Habet enim primo ab occidente porticum testudinatum ante fores ecclesiae, et post ingressum navem magnam, latam et longam, et postea in oriente chorum, ad quem de navi est ascensus per aliquos gradus, et de choro est ascensus in sanctuarium, et in presbyterium. Et de

